

dentia atque precibus adjuvarentur: Vestigia talis instituti occurrunt in illis *Viris Hiskia*, quorum Proverb. xxv: 1. mentio instituitur.

Novam quidem hic proponimus sententiam, verum non multum discrepat ab illa, quam ANTONIUS TAYUS, Theologus Genevensis in medium protulit Proleg. Commentarii in Kohelet, qui Genevæ anno 1608. est impressus: ille statuit Sermones hosce ex Salomonis ore a viris piis ac sapientibus, qui ipsius lateri continuo adhæserunt, exceptos ac deinceps in publicum editos esse; In eandem hypothesein inclinant JOH. MERCERUS & MICHAEL WALTHERUS *officina Bibl. §. 921.*

Nostræ saltem mentis sequentia habemus argumenta.

1. Quoniam nomen קהלת quod plus semel in nostro libro de persona loquente adhibetur cap. 1: 2. vii: 27. xii: 8. 10. proprio significato *Congregatam*, id est, Εκκλησιαν, adeoque *Societatem* quandam *plurium* designat: Nam participium Benoni in Kal hic non posse locum habere MERCERUS jam ex eo confecit, quoniam radix קהל in forma Kal non occurrit, unde R. ABARBANEL, & ex Christianis THOMAS CARTWRICHTUS, COCCEJUS & MOMMA, nomen hoc ex forma *Piibal* passiva derivarunt, quoniam illa conjugatio in verbis, quæ literam gutturalem in medio habent, in locum vocalis *Kibbuz*; ad compensandum *dages forte*, quod ex medio radicali excidit *cholem*, substituunt; Et per hanc hypothesein evitantur omnes tricæ grammaticales, quibus reliquæ interpretationes laborant: neque enim sic indigemus *Enallage* generis fœm. pro masc. neque *Anomalia*, qua flexionem fœmininam aliquando mutari in genus masc. MERCERUS ac HOTTINGERUS, aut in genus commune CARPZOVIVS & WOLFIUS censuerunt, neque Ellipsi, aut vocis איש cum Doctissimo HEUMANNO, aut vocis בן filius, cum DANZIO, Philologo insigni, neque ullis aliis longe quæsitis interpretatiunculis, cum naturalem notionem vocis servemus.
2. Accedit testimonium disertum Eccl. xii: 11. quod hæc verba sint דברי החכמים *verba sapientum*, qui etiam in mox seqq. dicuntur בעלי אספות *Viri congregationum vel Domini collectionum.*
3. Occurrunt quoque expressiones quædam in contextu, quæ videntur minus ipsi SALOMONIS personæ congruere, præsertim in capp. poster. v. gr. c. viii: 2. c. x: 20. ubi *de Rege* in tertia persona sermo instituitur, & officia illum spectantia præscribuntur, quin *obedientia Regis*